Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



et facies illius sudario erat ligata. Dicit illis iesus
solvite eum et sinite abire. Multi ergo ex iudeis q
venerant ad mariam et martham et viderant que fecit
crediderunt in eum. Offertorium Propitium humilem salvum fac domine
oculos superbos humiliabis quoniam quis deus preter te domine
Secreta Munera nos quesumus domine oblata purifi
cent. et te nobis ipsum faciant esse placatum. Communio
Videns dominus flentes sorores lazari ad monumentum com
motus lacrimatus est. Dixerunt iudei ecce quomodo amabat lazarum. Venite foras. Et
prodiit ligatis manibus et pedibus qui fuerat quadriduanus
mortuus. Postcommunio Hec nos quesumus domine participa
tio sacramenti et a prauis reatibus indesinenter expe
diat. et ab omnibus tueatur adversis. Super populum
Da quesumus omnipotens deus. ut qui in infirmitate nostre conscij
de tua virtute confidimus sub tua semper pietate gau
deamus. Dominica sabbato officium ad missam
Sitientes venite ad aquas dicit dominus et qui non habetis pe
cuniam venite bibite cum lenitate. Ps. Attendite plebs mea legem
meam inclinate aurem vestram in verba oris mei. Oratio Deus qui
Fiat quesumus domine per gratiam tuam fructus
istius nostre devotionis affectus. quia tunc nobis
prodeunt suscepta munera si tue sint plantata pietati
Et dicit dominus deus. In tempore placito. Lectio ysaie prophete
Exaudivi te. et in die salutis auxiliatus sum tui
et servavi te. et dedi te in fedus populi mei. ut suscitares
terram et possideres hereditates dissipatas. ut dicas his qui
vincti sunt. exite. et his qui in tenebris sunt. revelamini.
In viis pascentur. et in omnibus planis pascua
eorum. non esurient neque sitient. et non percutiet eos estus
et sol. quia miserator eorum regit eos. et ad fontes aquarum